IN FICTOS MEDICINAE OBSERVATORES ORATIUNCULA INAUGURALIS...

Giuseppe Nicoli



IN FICTOS

MEDICINÆ OBSERVATORES

ORATIUNCULA INAUGURALIS

JOSEPHI NICOLI

VICETIAE



PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXXI

24

VIRO CLARISSIMO

GAJETANO ROTA

MEDICINAE DOCTORI

ET VICETIAE NOSOCOMII MODERATORI

OPTIME MERITO

JOSEPH NICOLI

F.

Exiguam quam inaugurali hac die profero oratiunculam dubius haesi an amplissimo tuo nomine exornarem. Ad te inconcinnam, et pauxillam evehere indigne, et scivi, et sat judicavi. Perenne obsequii testimonium et mei veneris abundi animi significationem non inhoneste confidi. Tenuiores meae lucubrationes pluras in medicorum sectas ausae disceptare, se alicui perillustri patrocinio tutari necessario arbitratae. Me-

dicinae systematicae qualemcumque assecam toto animo adversabantur. Non erat sectis pugnax cujus benevolentiam prorsus non dedignarentur. Philosophiae et rationalis medicinae cultori se devovere ominabantur, et tota voluptate intendebant. Quippe ut sapientiae tuae liberalitate adniterentur, votis me properabant in illecebras adductae, Te illas comiter humaniterque accepturum, cum quibus me Tibi devinctum et perpetuo sacrum excipias obtestor et spero.

Diu vive scientiae, incolumitati et splendori.

IN FICTOS MEDICINAE OBSERVATORES

Diu vigilandum nobis est in detegendis superandisque erroribus, quibus obnoxii solent esse scribentes
Bagliv. op. omn.

Si hac die mihi laeta et solemni in conspectum vestrum, Clarissimi et summe Venerabundi mei Praeceptores, aliquid de rebus medicis publice forem allocuturus, plane diffiderem, nisi trepidanti mihi animo subiret, pesantique invaluisse jussum et morem, ut medicinae Tyrones primos vigiliarum et laborum suorum foetus vobis ipsis publice ostenderent.

Vestra quippe fretus benevolentia nonnullas inaugurales lucubrationes emittam, quas non equidem mei merito, sed mea reverentia erga praestantissimae artis nostrae dignitatem vobis probatas depulo at

confido. Pauca igitur in caussae fictarum medicinae observationum in praesens nunc disseram. Ecquis enim videre non valet in tanta rerum medicarum meree, in tanto neophite medicinae luce permultos scientiae nostrae asseclas in systematum somnis continuo degere, et recondita naturae mysteria quandoquidem permeare, ut doctrinae systematis cuncta induta atque obvoluta demonstrent, nimioque splendore coeci fiant, vel dementes evadant? Et quoties contra quamplurimos clamantes sentimus, nullum ad progressum scientiam neotericos appulisse, mysteria potius ubique effudisse, vel hypothetica medicaminum actione, vel conditionis pathologicae desiderio, vel phlogoseos mania clariora ipsa veterumque ratione, et experientia patrum secreta, novis heu saepius et male repetitis periculis, novis tenebris audaci jactura protinus obumbravisse? In hac rerum ambage, in tanto opinionum discrimine, quid mihi censendum, quid mihi desiderandum? quid meo corde de medicina, ejusque sectatoribus judicandum? Quod si mihi quaeratur quomodo, tanto detrimento et artis dedecore, medicorum judicia inter se continuo discrepent, et quodnam huic morbo admoturum remedium, forsan nimia audacia respondebo: causa discriminis, ficti sunt medicinae observatores; remedium adplicandum: pauci sint et fideles. Medicus naturae parendo naturae renitentiam

expugnat, et per observationis fidem generalia quaedam in praxi adnotat et statuit, et rationis et philosophiae duce medicinae inextricabili labyrintho lumen aliquod inferat, ut perplexa quae in dubium servocabantur, vel tot opinionum dissidio incerta et obscura habebantur, nunc, discussa ambiguitatis nebula, clara luce coruscant. Nec mihi objiciatur, naturam proprii vultus formositatem et verecundiam arcanis latebris, et humano ingenio haud raro impenetrabilibus recondisse, quod profecto concedam; sed inficiar naturam aliquid suis hominibus detegisse eo modo, ut naturae culpae potiusquam hominum temeritati ignorantiae, et observationum infedelitati discrimen tribui deberet.

Medici perplurimi affirmant se jurant, se vidisse, se manu propria tetigisse, et symptomata morbi sedulo notasse, et remediorum virtute saepius expertos fuisse. Veterum auctoritatem, quocumque modo extortam, in scenam trahunt, ut proprios in arte fratres suppeditent, vel calumniis obruant. Medicinae asseclae, vel pro varia regionum natura, vel gloriae causa, vel auri siti, vel ignorantiae obscuritate nonnullas in sectas se se diviserunt. Praeconceptas hypotheses unusquisque diligit, ideoque praesumptionis vitro singula videt, et non observat. Haec tot discriminum causae, haec longe medicinae pernicies. Et revera sunt qui systematis nomine abhorrant, et

publicae abjurant, qui omnes non ignobilis famae medicos solemniter laudibus largiuntur, et ab omnibus laudis retributionem quaerunt ac postulant. Medicinae systematum singula graviori mente perpendunt, ad trutinam vocant, et pensitant, ac subtiliori incerniculo diligenter succernunt. Cuncta arcana et nova induunt veste, novoque colore notant ac pingunt. Et quoniam hujusce medicinae sectatores libertatem sibi fingunt solerti cura cuncta aggredi, oblinire, et in propriam frugem recipere, ut sensim sensimque in sanguinem abeant, en nova rerum congeries conficitur, in qua sibi nomen vindicant Eclecticorum. Sed quid nobis, quaeso, intelligendum medicinae eclecticae nomine? Non me pudet candide confiteri, nullam in artis nostrae scriptoribus hucusque ideam invenisse, ex qua medicinae eclecticae definitio mihi aliqua elucescat. Scientiam factorum cumulum esse concedimus, sed addendum in explicationi, et rationali nexu factorum scientiam esse. Humani intellectus lucubrationes non tantum in rerum existentium notione sistere, verum etiam factorum causam necessario investigare debent, et operam ponere, ut modum inquirant, quo isthaec scatuere, quo progressum et finem habuere, ut principia nonnulla deducant, ut claris quot fieri potest, obscura pateant, et cognita phaenomena reconditis et obumbratis lucem afferant. Medicina non secus

ac caeterae scientias opes antiquissimas coacervavit, et observationis fide intallectui difficiliora phaenomena enucleavit, casu quamplura, et plura ratio nabili theoria detexit, ita ut nonnulla scientias fundamenta construeret, quae ad subimiorem gradum posterioribus aetatibus eventa, principia aliqua, et leges nobis indicant, et statuunt nauticae pyxis ad instar, quae litus, ac portum ostendit Facta per semetipsa cuilibet scientiae nullius sunt utilitatis Lorum nexus, principia, et leges scientiam perficiunt " Nil prorsus, monente Baglivio, cognovere sagaces viri conferre leniendis hominum morbis, opiniones abstractas et mentelis systemata, quibus, veluti ad columnam industria hominum alligatur, in medicine excogitare et fingere; sed ingenium rebus submittere, naturam parendo vincere, et austera potius observandi patientia, ea detegere praecepta, quae convocatis generalibus medicorum comitiis ab omnibus indiscriminatim tanquam certa salutis numisma te recipiantur,,. Sed quemadmodum facta per se haud raro clare patent, imo saepe densis observantur tenebris, et multi inter se discrepantes facta definiunt, ut quandoque contrariae prorsus exortae sint hypotheses ac theoriae; ita jure videtur medicinam ecclecticam scientiae nostrae progressui obstare, utpote ea quae in factorum tantum delectu basim ponit et statuit. Concedam ultro, in factis eligendis

42

constitui posse medicinam eclecticam, sed quomodo tibi facile eligendum erit optimum ex iis quae prorsus ignoras, vel tanto dubio efficiuntur. Non igitur in medicina eclectica ratio vera observandi. Et eo minus ratio observandi in illis, qui ob faustos eventus semel aut bis adnotatos ex aliquo remedio, vel potius ob innatam quandam proclivitatem tum laudandi, tum fingendi ad libitum medicamentorum vires, ita erga remedium aliquod afficiuntur, ut putent illud unum ad curandos quoque morbos summam vim ac veluti imperium obtinere.

Non paucos tamen inanis gloriae desiderium compellit medicos, ut alienigenam medicinam, et praesertim nostris hisce diebus gallicam sectent et valdopere laudibus efferant. Morborum historiam gallico vocabulo illustrant, diagnosim soloecismo confirmant, ut peregrinae eruditionis famam affectent. Librorum copiam ostentant, et quandoque ne illos quidem salutant. Plurium academiarum collegiis se adscriptos, pluribus titulis decoratos, saepe medicorum vulgus librorum frontibus monent, ut diariis fama resonantibus celebretur. Unumcunque morbum, vel ut melius dicam, unumquodque phaenomenon, et symptoma summis honoribus novitatis, vel graeco, vel gallico vocabulo evehunt, ut perplura in eorum libris verba non mehercule Horatii praeceptis *parce detorta*, tibi novum morbum, et saepe rarissimum

fingunt, qui antea gerulis innotescebat. Haec nove fingendi voces libido, scribente Baglivio, mirum est ut Tyronem feliciter progredientem retardet... confert si squallidos aegrorum lectulos, et publica Xenodochia frequenter visitaveris, et austera quadam utpote intrepida patientia adnotaveris, quid boni, aut mali singulis morbi temporibus contingat, qui progressus symptomatum, quique eorundem exitus post adhibita quaeque remedia succedunt. Cadavera hominum morbis denatorum secanda sunt, manusque inquinandae, ut invenias, quae morbi sit sedes, quae causa, qui exitus antecedantium symptomatum, qui demum effectuum omnium in antecedenti morbo observatorum eventus. Et quo modo observatorum nomini insignitum, qui nunm ubique semper vident morbum, et symptomata deducunt ex torquentque, ita ut rudioribus se quovis pacto demonstrare studeant. Adest narium pruritus, mydriasis, lingua punctulis notata; quid dubii? vermes clamant, et vermes propemodum per intestina excurrentes enumerant. In anthelminticis salus. Occiditur aeger, nec in cadavere vermes. Quid proinde? nonne vermes habemus invisibiles? et ex eo quod erant invisibiles, ipsi viderunt vermes.

Sunt nonnulli qui coeci ad instar ubique frustra oculis adstant, et ubique tenebras vident ac palpant, ideoque scientiae difficultates sedulo praedicant, fe-

cta et somnia in cumulum ponunt, ut medicinae obscuritatem, vel potius proprio ingenio obscuritatem demonstrent; de quibus verba non faciam utpote de iis, qui umbra optime gaudent, quoniam lucem sustinere non valent

Sunt qui dogma aliquod semetipsis excogitant, vel in antiquis scientiae libellis requirunt Novum effatum praedicant naturam ipsis allocutam fuisse lectulo probant, omnesque morborum curationes ad modulum dirigunt et absolvunt. Morbi indolem proprio commodo fingunt, remedia saepius repugnantia repugnantibus nubunt, aegrum vident, non observant, symptomata notant qualia desiderio et opinioni accomodantur, morbi effectus naturales, ac necessarios a medicamentorum actione deducunt, et morbo contra effectus remediorum adscribunt. Omnia ut nunc mos est, pretioso diuturna gravitate conscribunt libello, ut humanitatis utilitati, et artis splendore aliquando solemni novitatis titulo in lucem proferant. Necesse est ut medicina non ex natura mentis, sed ex ipsa rerum natura promanet, idest ut non per otiosas disputationes, sed per labores, et per inquisitionis patientiam, demum per fidem in observando promoveatur.

Plures hodiedum quoque caeca mente veterum auctoritatem diligunt, et ita illa sunt prosequuti, ut nobis occurrat saepe videre, quod neotericorum ve-

ritates contemnunt, ex eo quod omnino veterum judicia et errores amplectati, et tuiti sunt. Argumentis non raro jejunis, et nullius usus, argutiarumque dialecticarum ostentatione, inventionis sterilitate, sed prolixo, et inani argumentandi genere scientiam nostram tantum hypothesibus niti accusant, et medicinae uniuscujusque pauxillitatem (dempta veterum observatione) miserati sunt; in quos Baglivii argumenta retorquenda arbitror quibus in medicinam Galenicam utebatur: quod nempe neotericorum medicinae fundamenta jactata fuere in experimentis sedulo et coacervatim factis, et naturalis philosophiae penu depromptis. Morborum causas et symptomata non per incertas conjecturas, sed tamquam per radios solis delineata, ac demonstrata. Sed quoties nobis in arte sanandi Tyronibus ad aegrotantium lectulos illius medicinae sectatoris oracula petientibus nobis inquam, Hippocratis vel Galeni auctoritate nostra rationis judicia capite damnata contingerint? nec judicandum me veterum studiis et conatibus hoc loco deridere laude dignos potius quam derisione, et calumniis veteres medicinae parentes quocumque tempore judicabo, nam prima praestantissimae artis nostrae fundamenta per eos nobis jactata fuere, et morborum natura optimis observationibus locupletata, ut veterum schola nunquam ignorantiae et falsitatis accusanda videbitur,

imo meo animo vituperationi damnandos arbitror, qui novis hoc saeculo hypothesibus et theoriis veterum derisione nomen sibi facere studuerunt.

Aequo animo et veteres et recentes recipiendi sunt in utrorumque praeceptis et monitis, in utrorumque remediorum commendatione fas est ratione duce incedere, et ab inquisitionum analysi incipere, nunquam obliti, utrosque homines fuisse, et saepe utrosque erroribus obnoxios. Studendum igitur nobis diligenter erit, ne nova veteribus opponantur, sed potius vetera novis, quoad fieri potest, perpetuo jungantur foedere.

Haec pauca, Praeceptores clarissimi, quae mihi dicenda erant, lubenti animo ut mihi proposueram, et pro mea virium tenuitate peregi. Non me latet in hoc argumento quamplurima conscribi posse, et conscripta fuisse, sed quaenam igitur mihi via certior in novo itinere? summus in scientia Baglivius me docet: in ratione, et observatione Observatio tanquam est filum ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia Medicinae non ingenii humani partus est, sed temporis filia, quam ut de divinatione veteres quondam crediderunt, ex iis quae usus diuturnus notavit effectam merito dixeris. Definiri potest vis cognoscens, videns et explicans ex iis, quae longo tempore atque significatione eventus observavit, atque animadvertit diversa morborum genera, hisque

non ex probabili quadam hypothesi remedia adhibens, sed ab artis divinae praescriptis longo usu comprobatis perpetua medicinam petens. Haec medendi disciplina si cum hypotetico splendore, fastu, et magnificentia conferatur tenuis quidem, imo vilis atque contemnenda videbitur. At in illa nihil salutaris ac vitalis inest, verum mira dumtaxat ramorum, foliorumque luxuries ad adspectum quidem pulchra, sed statim flaccescens, ubi primum ea no vitatis gratia, tamquam succus, defecerit.

THESES

I

Corpora cavernosa urethrae non in glandis formatione intersunt.

II

Non datur inter cuticulam et cutim vasorum communicatio.

III

Medici ecclectici necessario sunt, et symptomatici.

IV

Philosopho medico scriptorum lectio optima, systematico pessima.

V

Nulla animalium actio facilior, quam actionis repetitio.

VI

Mentis operationes et corporis functiones saepe iisdem alligantur legibus.

